Karinski Laur. Alphonsi: Quaestio de motoribus coelorum.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0002323

QVÆSTIO
DE
MOTORIBVS CÆLORVM.

A

M. LAVRENTIO ALPHONSO KARINSKI Crac. in Alma Academiâ Cracou.
publicè ad diſputandum propoſita.
Menſe Aug. Die S. Augiſtini,
Hora 1. poſt merid.

Permiſſu Mag. D. RECTORIS.



CRACOVIÆ,
Typis Matthiæ Andreouienſis, Anno Domini, 1626.

IN STEMMA.



NOn mirare Crucem duplici ſic parte notatam:
Hoc ſuaſit virtus, hoc pietaſq́ dedit.
Altera vult Diuos cum Relligione tueri,
Altera ſed patrios vult decorare Lares.
Hac atauos proauos Clarus SCZEPAnouius ornat,
Hac ſibi cum magnis nomina magna parat.

Staniſlaus Pruſsinſki.



Illustri & Magnifico Domino,

D. IOANNI SCZEPANOWSKI DE SCZEPANOW,

Administratori Salinarum Bochnensium: Domino & Patrono suo vnice obseruando. Salutem & perpetuam Felicitatem P.



Um ratio literariæ contentionis, in plurimis militarem æmuletur, tum maximè in eo: quod sicut in acie belli, ita & in certamine literario, post exactâ rudimenta, singulari velitatione, ad certam consequendam stationem tanquam executi laboris terminum, & maioris cuiusuis aggrediendi incitamentum curratur. Hoc in Academiâ nostrâ ad excitandos in bonis ingeniis sedulos conatus, & cognoscendas vires semel susceptum sollicite ac religiose seruatur, cum ordinarie loci inter Professores prensandi facultas conceditur nulli, qui præuiâ disputatione, ex operâ, in spaciis Academicis iam collocatâ fructu prolato, de strenuâ postea collocandâ spem bonã non fecerit. Et quoniam plures Athletæ superatis periculis ex arenâ iam secessere, in eandem ego claudens certamen descendo, & ingenij mei tenuitatem, huius palæstræ aleæ inquisitione de motoribus cælorum propositâ

 committo.

committo. Cum aut sentiam ad tam grauem conflictum, animum meum ingenij imbecillitatis conscium vacillare ad præsidia fauoris & patrocinia illustria oculos retorquere cogor. Ad te ergo Illustris & Magnifice Domine, ignotus, non importunitate aliquâ educor, sed celebritate nominis, & dignitate honoris tui rapior. Nec enim puto alienum à tuâ dignitate existimabis eum sub patrocinium suscipere qui in sanguine Tuo nobili, generosâ prole Illustris & Magnifici Domini Pauli Prusynski, Iudicis Terræ Sendom. dignissimi, Affinis tui ad ingenuã institutionem sibi commissâ de Familia Tuâ Illustri bene mereri cupit. Hæc Tua semper fuit sicut in ipsas literas ita literarum propagatores, ingenuæ inquam institutionis artifices excelsa & Magnifica voluntas. Quam & mihi hoc certaminis ingenui stadium decurrenti experiri liceat submisse rogo.

Illustri & Mag: D. Tuæ,
æternum deuinctissimus.

M. Laurentius Alphonsus Karynski,
Senior ad S. Annam Crac.

QVÆSTIO.

V. Intelligentia orbium cælestium conuersioni naturali deputata, efficiat illam intellectu & volũtate, an ab his aliâ facultate motrice distincta?

CONCLVSIO I.

Intelligentię mouent corpora cælestia, tanquam formę illis assistentes.

COROLLARIA.

1. *Intelligentiæ nec per se nec per accidens mouentur.*
2. *Intelligentiæ motrices in vnâ parte determinatæ sunt ex doctrinâ Philosophi statuentis primi mobilis Intelligentiam motricẽ esse in æquatore.*
3. *Intelligentia omnis vt certam & definitam habet essentiam, ita certis locorum spaciis circumscribitur.*

4. *Vni-*

4. *Vnicuique orbi cælesti, sua intelligentia assignanda est.*
5. *Error est in Philosophiâ dicere ab Intelligentia cælum informari.*

CONCLVSIO II.

Corpora cœlestia effectiue non mouentur à principio intrinseco.

COROLLARIA.

1. *Cælestia corpora sunt inanimata.*
2. *Motus localis cæli, non est propter perfectionem suæ formæ debitam.*
3. *Motus cæli est alterius speciei, à motu inferiorũ.*
4. *Forma cæli, licet non concurrat ad suum motum actiuè, concurrit tamen ad alias actiones, per quas in inferiora influit.*
5. *Cælum est causa vitæ inferiorum, quatenus adiunctam habet Intelligentiam.*

CONCLVSIO III.

Orbium cœlestium cõuersio naturalis est.

COROLLARIA.

1 *Motu*

1. *In motu corporum cælestium, nulla datur repugnantia mouentis & paßi.*

2. *Non omnis motus qui fit ab extra violentus est.*

3. *Præter motum circularem, nullus alius corporibus cælestibus conceditur.*

4. *Raptus primi mobilis motum inferiorũ sphærarum non reddit violentum.*

5. *Conuersio Planetarum orbium, ab occasu ad ortum, & è contra supernaturalis sine fundamento appellatur.*

CONCLVSIO IV.

Intelligentiæ rotant cælos non intellectu & voluntate, sed facultate motrice ab his distinctâ.

COROLLARIA.

1. *Intelligentiæ voluntas & intellectus immediatè non ordinatur ad cæli motionem.*

2. *Intelligentiæ natura in ordine ad motum causandum est remotior quam voluntas & intellectus.*

3. *Facultas motrix ab intellectu & voluntate in Intelligentiis ratione differt.*

4. motum

4. *Ad motum cæli concurrit intellectus dirigendo, voluntas excitando, motrix facultas exequendo.*

5. *Differentia intellectus cum voluntate Intelligentiæ & vis motricis est ea, quia secundum superiora Angelus æqualiter se habet ad propinquum & distans, non ita vero secundum vim motricem. Mouens enim debet esse immediatum moto.*



